DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HYDROTHORACE;
QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RICARDUS TUOHILL,

Hibernus.

"Sequimur probabiliora; nec ultra quam id, quod verisimile occurrit, progredi possumus, et refellere sine pertinacia, et refelli sine iracundia parati sumus."—Cic.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

PATRICIO MORIARTY, M. D.

DE KILLARNIA

IN COMITATU KERRIENSI,

TAM LITERIS BONISQUE ARTIBUS

ORNATO

QUAM MEDICINÆ SCIENTIÆ

PERITO,

HOC OPUSCULUM

SUÆ OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM

INSCRIBIT

AUCTOR.

ARTHURO JACOB, M. D.

COLLEGII REGII CHIRURGORUM IN HIBERNIA

SOCIO,

ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ PRÆLECTORI,

STUDIO INDUSTRIAQUE IN MEDICINÆ PRINCIPIIS

NULLI SECUNDO,

BENIGNITATE ET MORUM SUAVITATE

INSIGNI,

HASCE PAGINAS

ANIMI GRATI MONUMENTUM

DEDICAT

DISCIPULUS

R. T.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROTHORACE.

Auctore Ricardo Tuohill.

Ex variis morbis quibus corpus humanum obnoxium est, nullus fere frequentior vel natura insanabilior vel eventu infelici dirior, quam ille qui nomen hydrothoracis adeptus est. In paginis sequentibus de illa forma frequentiori in qua aqua in cavitatibus vel pleurarum saccis ponitur pauca dicere consilium est.

Hunc morbum ad classem cachexiarum et ordinem intumescentiarum relatum, Cullenus celeberrimus ita definivit, " Dyspnoea, faciei pallor, pedum oedema, urina parca, decubitus difficilis, subita et spontanea ex somno cum palpitatione excitatio, aqua in pectore fluctuans." Homines debiles et corpore conquassatos invadit, et plerumque anasarcae symptomatis stipatur ; hinc seniores quam alii ei magis obnoxii sunt ; verum unaquaeque aetas in eum incidere potest, pueri tam raro eo

afficiuntur ut adventus alicui thoracis deformitati, vel structurae ejus viscerum pravae fere attribuatur ; aliquando tamen in iis occulte progreditur, neque multum abest quin sub forma gravissima appareat. Morbo ineunte sensus ponderis molestus, in ima et anteriore sterni parte percipitur quem mox comitantur palpitatio et spirandi difficultas praesertim sub quovis nisu insolito, ut scalarum ascensu, aut animi perturbatione. Morbo jam incepto accedit tussis, pimum sicca, postea mucosa, corpore supino respiratio gravior fit, et saepe aeger nisi cervice erecta spiritum plenum nequit educere, aliquando tamen tergo recumbens levatur et simul difficillime in latus recumbere potest, id, praecipue quo fluidum non est effusum. Inter cubandum somniis terrificis multum perturbatur, ex quo infelix sensu suffocationis subito expergiscitur corde mirabiliter resiliente ; hoc indicium morbi praesentiam in dubiis rebus monstrat, et nullam aliam thoracis affectionem comitatur, teste Culleno, sed saepissime abest et vitio cordis, potius quam hydrothoraci simplici proprium esse videtur. Quamvis symptomata modo descripta sunt usitatissima, donec aliquamdiu perstiterit morbus, multa desunt. Sonitus, qui ex percussione redditur, et quem stethoscopus communicat maxime diagnosi opitulatur ; sed si quando corpore concusso, aqua in thorace fluctuans vel audiri vel sentiri possit ; hydrothoracem adesse pro certo col-

ligere licebit. In stadio provecto pulsus acceleratur et saepe debilis, intermittens, et abnormis fit, cordis palpitatio et excitationes e somno tunc temporis crebrae occurrunt, facies pallescit labiis purpurascentibus, pedes oedemate tentantur, quod vesperi multum augetur, sed mane nonnihil imminuitur, urina parcius secreta sedimentum rubrum deponit, cutis est arida et alvus adstricta, subinde tamen diarrhoea morbum comitatur, functiones corporis male perficiuntur, sitis acerrima supervenit ; expectoratio nunc fere sanguinolenta et glutinosa est, dyspnoea magis magisque difficilis fit ; morbo ingravescente est fastidium cibi, ventriculus officium suum perficere nequit, vires valde franguntur, frigus gravissimum in artubus sentitur, vultus aspectum maxime terrificum induit ; morte appropinquante, stupor, delirium, coma, simul cum convulsionibus musculorum respirationis aegrum aerumnis confectum e medio tollunt. In paucis exemplis hypochondrii prominentia, torpor vel conditio paralytica brachiorum, vel unius lateris observari possunt. Progressus et duratio hujus morbi sunt varia, in quibusdam enim casibus cursum valde diuturnum peragit, in aliis, brevi interjecto spatio de aegro actum est.

SECTIO CADAVERIS.

Pectore recluso, fluidi serosi copia major vel mi-

nor semper invenitur plerumque in utroque pectoris latere, saepe vero in uno tantum ; pericardium frequenter aqua distenditur, et aliquantum circum tubos bronchiales diffunditur. Aliquando hydatides humorem subflavum continentes vel cavitati thoracis innatant, vel superficiei pleurarum adhaerent ; pulmones fere indurantur et mole imminuuntur vel tuberculis replentur, interdum pleurae ambae cohaerent ; cor vitiatur et ejus valvulae praecipue lateris sinistri in os convertuntur ; concreta polypi dicta in ventriculis visa a MORGAGNI notantur, sed haec, ut mihi videtur, a fibrinae sanguinis separatione vel in articulo vel post mortem nascuntur ; viscera abdominis ut hepar, lien, pancreas, et glandulae mesentericae dura vel structura laesa subinde detecta sunt. Cerebrum etiam morbi indicia ostendit, in ventriculos vel inter membranas serum large effunditur.

CAUSA PROXIMA.

Collectio humoris serosi in cavitatem thoracis effundi potest propter exhalationem auctam, absorbentibus in statu naturali manentibus, vel propter absorptionem diminutam exhalantibus nequaquam auctis ; saepe absorptioni minutae et exhalationi auctae conjunctis refertur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES, sunt

diaeta insalubris, morbi praecedentes praecipue exanthemata, usus intemperatus liquorum inebriantium, aut hydrargyri, evacuationes largae et saepe repetitae, ut sanguinis detractio aut alvi purgatio, vita ignava, vigilia, pathemata mentis contristantia, aer frigidus atque humidus, podagra et catarrhus senilis, omnia denique quae functiones vitales debilitant et secretiones vitiant, corpus huic morbo obnoxium reddunt, vel, ut nonnulli habent, diathesin hydropicam in systemate praeexistentem stimulant, inde inter causas excitantes rectius recenseri debent.

CAUSÆ EXCITANTES, sunt pneumonia in resolutionem imperfectam desinens, asthmatis aggressiones iteratae, perspirationis vel alius secretionis serosae suppressio, omnia quae cursum sanguinis per pulmones impediunt, et venas ita distendunt, ut sanguis in arterias aegre impelli possit —nam ideoque serum vasis exhalantibus effunditur; hujuscemodi praecipua sunt vitia cordis aut ejus valvularum, aneurisma vel dilatatio arcus aortae, pulmonum hepatizatio, tubercula et tumores cujus generis cunque sint lymphatica vel ductum thoracicum prementes.

DIAGNOSIS.

Propter morbos varios et in multis simillimos

quibus viscera thoracis obnoxia sunt, maximi momenti est signa cognoscere quibus alius ab alio distinguatur, qui hydrothoraci similes sunt vel quibus confundi possit, sunt Œdema pulmonum; Hydrops pericardii; Empyema; Chlorosis; Asthma; Aneurisma arcus ortae; et Angina pectoris.

Œdema pulmonum hydrothoraci simillimum est, et nulla symptomata sibi propria exhibet, expectoratio serosa quae copiose ejicitur a nonnullis notatur, sed huic non confidere possumus. Hydrops Pericardii et Hydrothorax persaepe in uno corpore conveniunt et pene iisdem auxiliis curantur; hoc praesertim inter se distant, quod in hydrope pericardii, aegro in latus dextrum recumbenti dyspnoea multum augetur et sensus ponderis in latere sinistro percipitur, morbo provecto, syncope frequenter occurrit, raro palpitatio, pulsatio cordis diffusa et obscura corpore antrorsum flexo vix et contra aegro supino magis percipi possit. In Empyemate pulmones sensu humoris in thorace fluctuantis opprimuntur; sed historiam morbi investigando cito intelligetur, inflammationem pneumonicam praecessisse, et rigores, sudores frigidos cum pulsus diminutione et doloris remissione, et alia, quae suppurationem indicant, supervenisse. Chlorosis dysorexia et languore accedit, et puellas, quibus catamenia nondum adfuerunt, vel foeminas quibus quae fluere solebant jam suppressa sunt aggreditur; quamvis palpitatione, tussi, dyspnoea

et anasarca symptomatis hydrothoraci communibus stipetur, tamen oculi hebetes, appetitus pravus, cutisque dicoloratio, aliis conjunctis, morbi naturam statim monstrant. In Asthmate accessio stato tempore fere noctu accedit, et mane cessat ; exacerbatione opprimente, facies livet, et maxime turget, pulsa, aeger in intervallo valetudine secunda gaudet ; dyspnoea, sibilo strepente, cum sensu angustiarum circa pectus comitatur, et remediis antispasmodicis vel emeticis cito penitus removetur. In Aneurismate Arcus Aortae deliquium animi palpitationibus succedit, et pulsus ad utrosque carpos dissimiles sunt, tumor pulsans pressurae cedens in summo sterni sentitur a quo clavicula, vel sternum vel costa prima persaepe diminuitur. Angina pectoris per paroxysmos invadit ; dolor acerbus a medio sterno ad brachium laevum transversim extendit ; palpitatio vehemens subsequitur, et interdum aeger sensu et motu pro tempore privatus in syncopen cadit.

PROGNOSIS.

De felici aut infelici eventu, a causis perspectis a natura officioque partis affectae, a diuturnitate morbi, a symptomatum lenitate aut acerbitate cum aegroti aetate, robore, corporisque habitu judicandum est. Si juvenis est et non diu hoc morbo laboraverit ; Si corporis habitus nec intemperantia

nec morbis præeuntibus jam fractus fuerit ; Si affectio nulla viscerum organica adest, vel si talis est qualis amoveri facile possit, prosperum eventum praedicere licebit ; Contra, si aetate provecta et viribus labefactis est, si post remediorum potentium usum pedes manusque maxime intumescunt et caetera symptomata progredi videntur, prognosin infelicem edere decet. Si purpurea sunt labia, sputa sanguine admista, et extrema frigida, dyspnoea sitique simul multo urgentibus, maximum periculum imminere constat. Si morbus pneumoniae supervenerit ; Si originem traxerit a vitiis cordis, pulmonibus obstructis, visceribus scirrhosis, talibusque affectionibus quae extra medicinae potestatem sunt posita ; etiam strenuissimi conatus minimi valebunt.

RATIO SYMPTOMATUM.

Dyspnoea et tussis oriuntur, partim ex pulmonibus ita compressis ut copia aëris atmospherici necessaria introire non possit ; et partim ex descensu diaphragmatis impedito, quandocunque ascites hydrothoracem comitatur.

Faciei pallor cum purpura labiorum. Si sanguis defectu ullo cordis, vel organorum respirationi inservientium, quo minus mutationem vitalem subeat, ex parte prohibeatur, labia colorem purpureum assumunt : Systematis debilitas et cir-

culatio per cutem languida faciei pallorem inducunt.

Pedum oedema. Si hydrothorax ascite vel anasarca stipetur, causa oedematis facile explicatur; sed si simplex sit; ad obstructum sanguinis circuitum, debilitatem, vel exhalationis cutaneae suppressionem referendum est.

Urina parca cum rubro sedimento. Secretiones omnes e sese invicem tantum pendent, ut pro unius auctu ceterae pariter minuuntur; Ob tenuiorem sanguinis partem in cavitatem thoracis et cellulas reticulatas directam, ad renes minus conducitur; Praeterea arteriae et nervi stimulo proprio egentes ad secretionis officium parum idonei sunt.

Decubitus difficilis.—Corpore supino diaphragma altius in thoracem a visceribus abdominis impellitur, ex quo fluidum pulmones fortius premit; Si aqua in uno thoracis latere solum conjesta sit, aeger in eodem recumbens facilius spiritum ducit, in altero non sine respiratione difficillima decumbere potest, quia fluidum lateris affecti adeo mediastinum premit ut pulmo sana non libere se expandere possit.

Subita ex somno cum palpitatione excitatio. In hydrothorace aeger saepe palpitatione et sensu suffocationis expergiscitur quasi incubo afficeretur; vel quia ventriculus sinister propter valvularum vitia sanguinem rite propellere nequit, vel quia sanguis per pulmones motu lentiore trajectus,

dextrum ad latus refluit. Hanc affectionem somnia moesta antecedunt, quorum, consensus inter cerebrum et pulmones et fortasse aliquid congestionis in cerebro, causam explicant.

Torpor vel conditio paralytica ; Haec multis et variis causis attribuantur, quarum praecipuae sunt, liquor nervum phrenicum, vel ramos plexus axillaris opprimens ; effusio in cerebro vel theca medullae spinalis ; artus debilitas vel nervorum ejus nonnihil conditionis peculiariter morbidae.

Stupor, coma, delirium, &c. Cum talia symptomata apparent, proculdubio colligendum est, serum vel sanguinem vel utraque forsitan in cerebrum (sive superficiem sive massam ejus, sive ventriculos putes) effusa fuisse.

RATIO MEDENDI.

Maximi momenti est, modum, quo morbus impetum fecit bene explorare, et indicia quam plurima ad naturam ejus cognoscendam colligere, priusquam ulla remedia administrentur ; nam hoc tentato, judicium in rationibus medendi sapientius dirigetur. Sed maxime dolendum est, saepe vires fere fractas et morbum longe progressum esse, antequam de natura ejus certissime judicare liceat.

In hunc morbum tractando, tria consilia instituenda ; 1$^{mum.}$ Causas remotas tollere ; 2$^{dum.}$ Humorem accumulatum educere ; 3$^{tium.}$ Vires aegri refi-

cere; remedia ad causas remotas tollendum, primo usurpanda sunt; nam quamdiu hae manent, curatio non fieri potest. Si morbus originem traxerit a debilitate, opus est diaeta nutriente et faciliter concoquenda, exercitatione, aëre puro et medicinis mitioribus caute exhibitis, cum caeteris quae debilitati occurrunt. Si ex inflammatione, vel viscerum obstructionibus; venaesectio et medicinae deobstruentes, ut hydrargyri praeparata, et cathartica optime conveniunt; verum si ab aliis causis pendeat, quae, ut supra dixi, incurabiles sunt, veluti vitiis organicis cordis et pulmonum, &c. clare patebit optima et sagacissima consilia ad eas removendas inutilia fore.

Secunda indicatio exsequenda est absorptionem excitando, ad hoc propositum usurpantur Missio sanguinis, Diuretica, Cathartica, Diaphoretica, Emetica et Epispastica; quibus frustra adhibitis, aquae amotionem per paracentesin thoracis, efficere decet, quoniam hoc unum vitam aegri protrahere valet.

Missio Sanguinis in hydrope ab HIPPOCRATE praescripta fuit quando respirandi difficultas sit, aegri habitu vel robore non prohibente, sed haec praxis non consentanea erat doctrinis de causis hujus morbi quae post eum tamdiu extiterant, nam medici, nihil aliud quaerentes, nisi ut debilitati obstent, tale remedium periculosissimum esse existimabant; ergo in desuetudinem inciderat, donec Doctores RUSH, BLACKALL, ABERCROMBIE, &c.

nuper eam revocaverunt. Ejus effectus multa exempla indies videntur; quibus constat eam maximae utilitati esse et interdum remedio solo quod tute adhiberi possit; praesertim cum morbus subito accesserit; cum diathesis phlogistica se indicat et dyspnoea vel dolor pectoris magnopere urget.

Si Diuretica absorptionem fluidi efficiant, aegri corporis habitus eo modo minus debilitatur; ex hac remediorum classe digitalis praecipuum tenet locum; attamen ejus postestas est saepe incerta. Si pulsus fit debilis et abnormis, si dolorem capitis, visus hebetudinem, nauseam vel diarrhoeam excitat, statim omittenda. Nausea vero interdum principio administrationis occurrit quae paucis Tincturae Opii guttis vel Tincturae Aromaticae levatur. Si post septimanas duas votis nostris non respondeat, usu desistere decet, nihilominus iterum experiendo saepe beneficia eduntur. Si ventriculus, vel viscera abdominis scirrhosa, vel structura laesa sunt, minimum ex usu digitalis expectandum. A Dr. WITHERING observatum, digitalem, iis quibus sunt vultus palidus, pulsus debilis aut intermittens, corpus molle et tenerum, maxime prodesse, et contra, iis habitu pleno et robusto praeditis, quibus sunt fibrae tensae, raro efficacem esse. Chirurgus CARMICHAEL Dublinensis nos certiores facit, digitalem cum acido nitrico conjunctam, maximum usum praebuisse in hydropis specie curanda, quae

in corporibus confectis et usu hydragyri diu vexatis occurrit. Dr. Blackall et alii demonstrare nituntur, inutilem fore nisi albumen in urina detectum fuerit, sed nostris temporibus medicorum experientia apparet rem aliter evenisse. Scilla Maritima virtute haud mediocri gaudet, cum urina parca et nebulosa sine albumine redditur, et ubicunque hydrothorax asthmati aut catarrho senili supervenerit; quippe quae cum pulmonum excreationem excitat, tum urinae fluxum augeat. Spiritus Ætheris Nitrosi, ut diureticus, et dyspnoeae subsidium ferens multi habetur, cum tinctura digitalis admistus nunc in usu est, Oleum Juniperi pilulis scillae et digitalis additum, operationem diureticam valde adjuvat; in alcohole diluto suspensum aegris debilitate confectis praescribitur. Sunt alia hujus classis remedia tractatu dignissima, quorum effectuum et facultatum historiam, nunc non mihi tempus conceditur, ut merentur, exponere; haec sunt Potassae praeparata, ut Acetas, Nitras, Bitartras, et Subcarbonas et Herbae, Colchicum, Nicotiana, Lactuca et Pyrola.

Cathartica pro habitu viribusque aegri exhibenda sunt. Si sit plenus et robustus, si doloris expers et febris nulla adsit, catharticis fortioribus opus est; haec vasa exhalantia quantitatem fluidi serosi in canalem intestinalem effundere stimulant, et cum inter vasa exhalantia et inhalantia intercedit affinitas tam propinqua, cum illis haec quoque ex-

citentur, sic exhalatio aucta absorptionem inducit, et hinc beneficia tam evidentia ex dejectionibus liquidis derivantur.

Hydrargyrus in multis casibus remedium utilissimum, et saepe unicum cui fidem habeamus esse videtur, praecipue cum morbus ex visceribus obstructis vel absorbentium torpore oritur. Secundum GREGORIUM, " Stimulatis vasis lymphaticis efficit ut plus humoris tenuis per ea resorbeatur, et in sanguinem deferendi. Praeterea toti corpori omnibusque praesertim partibus secernentibus stimulo est, qui ita dirigi queat ut quasdam prae caeteris excitet."* Nocere putatur cum dolor pectoris et dyspnoea imminent, vel signa inflammationis sese indicant ; tunc enim systemati stimulum graviorem communicat. In forma pilularum vel unguenti cuti affricandi administratur ; pilulae per se vel catharticis, vel opio conjunctae, praescribuntur ; pilulae ex calomelane, digitali et scilla saepenumero prodesse videntur.

Emetica sputa provehunt, et, impetum toti corpori dando vasa lymphatica stimulant. Quinetiam apparet ea sanguinis distributionem mutare, et ejus conditionem morbidam in melius convertere ; magna tamen debilitate vel vitio cordis urgente non sine maximo periculo usurpantur. Tartras Antimonii et Potassae a SYDENHAMO laudatus est, sed ex

* Med. Theor. p. 488.

virtute purgativa, et diaphoretica, plus quam emetica prodesse videtur. In hydrope, qui scarlatinae succedit, in parvis dosibus a nonnullis strenue commendatur.

Diaphoretica bene conveniunt ubi frigus aut alia similis noxa hunc morbum intulerit; fluida ad corporis superficiem alliciunt, et constrictionem cutis amovent; senibus et debilioribus minus idonea est diaphoresis, quippe debilitatem magis magisque augere pollet. Balneum calidum in hydrothorace juniorum post exanthemata utilissimum est; et saepe adultis nec minoris beneficii repertum est.

Epispastica cutem irritant, et novam actionem inducendo, exhalationem internam minuunt et lymphatica per consensum stimulant, praeterea spirandi impedimentis et stricturae circa pectus magno levamini sunt; sed si convulsio diaphragmatis aliorumque musculorum respirationi inservientium supervenerit; Haustus ex Tinct. Opii et Æthere Sulphurico compositus, levamen celerrimum et efficacissimum erit.

Omnibus remediis nihil valentibus paracentesis praescribitur. In perpaucis exemplis feliciter evenit; Multa quidem operationem tutam vetant, timendum est enim, ne aër atmosphericus introeat et pulmo ipse vulneretur, id quod facile fieri potest, si pleurae ambae alicubi cohaereant.

TERTIA INDICATIO EST VIRES ÆGRI REFICERE.

Propter remedia quibus aqua dissipata fuit, corpus multo magis infirmum, ideoque hydropi tanto magis obnoxium, redditur ; Systematis tonus instaurandus diaeta nutrienti, exercitatione, atque remediis roborantibus. Diaeta nutriens opportune sumpta ad corpus roborandum prae aliis omnibus confert ; cibus talis esse debet, qualis non ventriculum male afficiat, sed facilis concoctu nutrimentum maximum suppeditet ; inter epulas vinum, vel aliquis liquor spirituosus parce sumptus, quantum stimulum naturalem sustinere conferat, multum adjuvabit. Solutio Bitartratis Potassae potum saluberrimum ad usum quotidianum praebebit ; hic liquor, duplici virtute praeditus et aperientis et diuretici officio fungitur. Vestimenta satis calida per universum corpus, praesertim per pulmones et pedes, continuo adhibenda. Ab exercitatione viribus aegri aptata effectus optimi nascuntur ; ea corpus roborat, circuitum sanguinis accelerat, menti hilaritatem conciliat, concoctioni alimentorum opitulatur, excretiones varias, cutaneam praecipue promovet ; et ut evacuationes suppressae hydropem haud raro gignunt, sic eaedem auctae morbi reditui obviam ire multum conferunt. Balneum frigidum cum maximo fructu in auxilium vocatur ; ne

frigus sit immodicum neve aeger diutius in balneo maneat, cavendum est. Si artuum tremor, frigoris extremi sensus, faciei pallor vel livor, cum oppressione invadunt, nulla commoda exorientur. Melius foret, ut opinor, a balneo tepido incipere et gradatim temperiem imminuere. Ex medicinis roborantibus, praestantissimae, et quae primum sibi locum vindicant, sunt cortices Cinchonae et Cascarillae et radices Colombae et Gentianae cum ligno Quassiae excelsae in forma pulveris vel infusi, additis aromaticis, exhibenda. Varia ferri praeparata, et acida tam mineralia quam vegetabilia, saepissime eodem consilio feliciter praescribuntur. Haec omnia ventriculo aliisque corporis partibus vigorem donant. Ut alvi conditio secundum functiones naturales restituatur, medicinarum aperientium ope indigebit. Pilulae ex myrrha, aloe, et sapone huic necessitati bene respondebunt. Si, his acceptis, excretiones haud satis eliciantur, dosis pulveris jalapae compositi, semel vel bis in hebdomada sumpta prospere procedet. Si faeces colorem albidum vel subnigrum, vel striis flavis intertinctum, prae se ferant, bilem nimis parce secerni pro certo monstratur, et hydrargyro in dosibus, quae systema non afficere possunt, opus erit. Pilulae caeruleae et infusum Rhei cum Sodae Carbonate vel Potassae Sulphate prout status ventriculi poscat, accipiantur. Haec praescriptio, cibo et exercitatione peritè ordinatis, aliis anteponenda.

Si secunda valetudo acquisita fuerit, aegrum in futurum non passum iri, si modo jam in senectutem non plane vergat, et vires sint integrae, sperare licebit ; sed summopere cavendum est, ne diaetam alienam sumat neve humori aut frigori se objiciat ; nam ex mediocribus causis, morbus recidivus fieri potest ; quod si forte evenerit, multo difficilius imo fere impossibile erit, iterum sanitate frui. Si in loco humili et paludoso habitat, migret in coelum siccius at purius, in memoria semper religiose tenens sententiam Celeberrimi CELSI sequentem—"Pessimum aegro coelum est, quod aegrum fecit." *

---

* Cel. de Med. lib. ii, cap. 1.

FINIS.